



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militarivm Ordinvm Origines, Statvta, Symbola, Et Insignia, Iconibus, additis genuinis

Mennens, Frans

Maceratae, 1623

Ordo Eqvitvm Auisiorum vulgo de Auis in Lusitania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10718

ORDO EQVITVM
*Auifiorum vulgo de Auis
 in Lusitania.*



*Ebovenses
 Equites.*

Christianis Ebovensi vrbe, frequenti Regum Portugalliaë domicilio celeberrima, potitis, quòd sicu naturaque aprus locus videretur Mauris debellandis, placuit Alfonso Regi Lusitaniaë huius nominis primo, caput hic magistrumque Equestris militiæ, quæ in Castellæ regno Calatrauensium, in Lusitania verò Auifensium nuncupata est, constituere. A primario tamen ordinis initio, Ebovenses dicti ab vrbe B. Mariæ ordinis Cistertiensis patronæ; atque eius nomine Ferdinando Monteyro, primo militiæ magistro donata, assumpto titulo. Eo consilio id factum, vt inde crebris excursionibus fidei nostre hostes acerrimos pro viribus paulatim expellerent. Ibidem, & sedes fuit horum militum, qui Gallica voce *freres*, hoc est fratres dicti, vbi hodie locus ille *feria* appellatur: & in ipsa vrbis arce, quæ muro, & turribus ab vrbe seclusa erat, vt etiam hodie apparet, in situ ædium Didaci Castri, dictæ vrbis Tribuni militum. Iuxta ædes item Comitum Portalegrij sacellum tenebant D. Michaeli Archangelo sacrum, vbi stans horis res diuina peragebatur. Tres verò Eboræ magistri Equitum fuisse memorantur, Primus Ferdinandus Roizius Mentellus, summæ vir auctoritatis, cui Alfonso

Henriquez Rex Masaram oppidulum Mauris ademptum donauit: alter frater Gundisalonis Viegas: tertius Alfonso Auenfis, quo magistro ad Auifim castrum à dicto Alfonso expugnatum, eique sodalicio attributum, milites commigrarunt; quo proprius à Mauris abessent, aut vt citius debellare eos possent. Mansit inde ordini Auifensium nomen, quem Innocentius III. qui Celestino successit, Pontificatus sui anno IV. Christi verò nati 1204. regnante Sanctio, qui Alfonso parète mortuo regnum hæres proximè excepit, confirmavit. Cæterum cum Rodericus Garzias VII. Calatrauæ Magister, Auifios multis bonis, (quæ in prima, & secunda Calatrauensis ordinis approbatione declarantur) locupletasset, illi se Calatrauensium legibus, & reformationibus, vt vocant, ingrati animi signum perpetuum permiscere, eorumque imperium agnouere, vsque ad tempora Ioann VII. Auifiorum magistri, qui natalis fuit filius Petri VIII. Regis Lusitaniaë. Idem Rex Petrus, post victricem Aliubarotæ obtentam, Auifios suos à Calatrauensibus seiunxit, Crucem viridem, inferiori stipite paululum longiori sublata pyro arbore, ad Alcantariensium discrimen gestantes, cum antea rubeam, & eandem cum Calatrauensibus, vt ex antiquo ordinis sigillo, quod duas aues ad basim Crucis ostentare testatur Franciscus Radefius, colligere licet præferrent. Instituta tamen Cisterciensium, sequuntur. Rectè itaque Radefius Auifios cum Calatrauensibus cõfundit, quod succedente tempore in vnum Calatrauæ ordinem coaluerint. Volateranus verò errore deceptus, cum Alcantariensibus iungit. At diuersos esse, & postmodum, seiunctos egregiè docent Hier. Romanus lib. 7. de Republica, & Gonzalvus Argotes de Molina lib. 1. cap. 32. de nobilitate Hispaniæ.

*Insignia
 Auifensium.*